

Indicatio curatoria à causâ continente, affectuq; ipso desumitur, quibus necessaria adhibere docet remedia; partiumque principaliter affectarum dispositioni vitiosæ corrigendæ, ac robori eorum instaurando, reliquiisq; affectus ac causarum extirpandis, commoda subministrat remedia.

χάλισιν.
 Omnis à CAUSÂ CONTINENTE desumpta INDICATIO juxta *Senn.* l. 5. *Inst. S. 1. p. 2. c. 2.* Communemq; practicum consensum, ac rationis normam, CURATORIA cum sit; & nos, nè à recto tramite deviasse accusemur, merito AFFECTUS ipsius CURATIONI, & ILLIUS etiam conjungimus: cum & unâ eademque operâ commodè id fieri, ac utrique intentioni inferviri possit. Sublato enim ac discusso pravo isto vapore, facile spiritibus naturalis sua redit dispositio. Et quanquam sublatâ causâ antecedente, minerâque vapores exspirante, exhalatio ista cessare, ac fumus deficere debeat; visceribusq; hypochondriorum correctis, generatio ejus ulterior impedita videatur: tamen cum rarò malum ita radicitus extirpari, dispositioq; ac *μιάσμα* illud deleri penitus possit, ut nihil amplius de se effumet, vel etiam vapores sublatâ minerâ simul auferantur omnes; RELIQUÆ ejus sunt AUFERENDÆ, àque CAPITE AVERTENDÆ, ac DISSIPANDÆ. Ne verò PARTES PRINCIPES eos porrò recipiant, eæ sunt ROBORANDÆ. Imò cum interdum præservatoriâ indicatione neglectâ, curatoria tantû attendere cogamur, ac quibus præfidiis ab insultu mali ægrum liberare, ac in IPISO PAROXYSMO tractare debeamus, opera danda nobis veniat. Eò hîc nobis omni ingenio laborandum, quo propositos hos SCOPOS adimplere possimus; cum quæ vaporis natura sit, hîc exponere porrò, nihil attineat. Non verò operoso ad eos consequendos utemur apparatus; nec singularibus terminis eos secludemus, cum ferè coincidunt semper.

PRIMO itaque ijs satisfieri potest, quæ & generationem vaporis impediunt, ac ascensum ejus ad caput prohibent; eaque partim ex antecedentis aphoris, Schol. peti, partim ex ventriculum roborantium